

## **Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiae, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in  
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus  
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum  
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque  
omnibus in utroque Foro ...

Tractatus Primi Pars I. de Servitutibus Prædialibus, Usufructu, & utroque  
Retractu, Pars II. de Emphyteusi, Pars III. de Locatione & Conductione

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. VI. Pisauren. muri. An & quando super muro communi existente inter  
duas domos possit unus altero invito superædificare.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74102](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74102)

## PISAVREN. MVRI

INTER  
HONDEDEOS  
ET

COMITISSAM GHERAR-  
DESCAM.

*Responsum pro veritate ad utriusque partis instantiam.*

An & quando super muro communi existente inter duas domos possit unus altero invitato superædificare.

S V M M A R I V M .

1. **D**E signis communionis muri divisorii remissivd.
2. **Q**uando dicatur esse communis pro divisorio, vel pro indiviso.
3. **D**e distinctione, cum qua deciditur quæstio, an licet vicino edificare in muro communi invito vicino.
4. **D**ificultas est in applicatione, que pender ex qualitate facti arbitrio judicis.
5. **O**nus est volentis edificare, probare quod murus sit ad id destinatus, ita ut prohibenti sufficiat vincere per non ius.
6. **Q**uando murus dicatur non aptus ad edificandum.
7. **V**endens partem domus ac partem retinens videtur vendidisse servitutem altius non tollendi seu lumenibus non officiendi.
8. **D**e signis, ex quibus murus dicitur aptus ad edificium.
9. **D**eclaratur conclusio de qua n. 7.
10. **P**ro decisione hujus controversia in dubio spectanda est causa, qua edificare volens movetur.

D I S C . VI.

**V**olentibus Hondedeois edificare super quodam muro communi inter eorum domum, & illam Comitissam Gherardeschæ in Civitate Pisauri, istaque se opponente, pro veritate concorditer per utramque partem interrogatus respondit ut sequitur.

Dux sunt partes istius controversie; Una est, an paries sit communis ad utriusque vicini dominium & quæ pertinet; Altera num posita communione, licet Hondedeois superædificare, & cujusnam socii potiores sint partes, an volentis edificare, vel prohibentis.

Super prima non videtur diu immorandum, licet enim multa concurrentis communionis signa deducta per Surd. conf. 126, Honde, conf. 80, lib. 1, Vegg. conf. 33, Altograd. conf. 100, lib. 1, Rouit dec. 30 Thomat, dec. 119, Thesaur. dec. 219, Duran. dec. 450, Sperell. dec. 54, & alios satis frequenter; Attamen in praesenti quæstio cessat ex facto, ac versamur in claris terminis communionis ex publico instrumento venditionis domus facta per auctorem illorum de Hondedeois, auctori Comitissæ, in quo expressis verbis dicitur, murum fieri debet communibus expensis, esseque communem, id est ubi habemus factum claram, supervacaneum est in juris dispositione immorari ad vulg. regulam text. in l. libe aut ille ff. de legat. 3, quam late exornat Rot. dec. 44. num. 14 par. 10 rec. Neque dubitandum videtur eundem murum esse communem pro indiviso, dum supponitur in certis partibus adesse tigna hincindè in totum perforantia, atque in aliis adesse fenestræ muris medie-

Cardin. de Luca de Servitibus.

tatem excedentes juxta magistralem distinctionem Bart. in l. inter quos num. 1, ff. de damno infecto Cepoll. de servit. Vrb. præd. cap. 40. de pariete seu muro n. 11. latè Boer. conf. 5, per tot.

Sola igitur quæstio est in secunda parte, num scilicet, posita communione, licet uni ex focis altero invito edificare in muro communi, illumque extollere; Et quæ is ex varietate consumentum, qui in his præcisæ terminis juxta contingentiam casuum, & clientum affectionem scripserunt, articulus videatur involutus, revera tamen ejus inspectio est potius facti quam juris; De jure siquidem, de facilis resolvitur quæstio cum distinctione, num scilicet murus sit ad edificandum destinatus & aptus, vel simpliciter divisorius, & ad dividendam unam aream ab altera.

In primo enim casu potior est conditio edificare volentis, & in his terminis procedunt text. in l. cum duobus §. item mella ff. pro soc. l. si eales ff. commun. divid. cum concordan. In secundo autem fecus ac procedit regula textus in l. Sabinus ff. commun. divid. l. quidam liberu in princ. ff. de ser. urb. præd. cap. in re communi de regul. jur. in sexto cum alio concordan., ut magistratus distinguendo firmat Thesaur. dec. 23. & 41, & constat apud omnes de hac individuali materia hinc inde tractantes, de quibus supra & infra, inter quos controversia est super facto & rei qualitate, num scilicet murus esset juxta primam vel potius juxta secundam partem dictæ distinctionis, nam super ejus veritate in abstracto omnes concordant, ut apud Thesaur. loca cit. Bursett. conf. 57. & sequen. Surd. conf. 233. 1af. conf. 98. lib. 1. Honde. conf. 80. lib. 1. Vegg. conf. 53. Altograd. conf. 100. ex num: 41. lib: 1. Menoch: conf: 1237 ex num: 17. Cyriac: controv: 460. Gratian. discept: 572. Rouit dec. 30. Thomat. dec. 119. latè Sperell. dec. 54. & 56. Duran: dec: 450. in votu Cameræ impress: inter Rotæ decisiones la 253. part: 7, rec. & in aliis de materia tractantibus, qui omnes concordando in dicta distinctione, certant solùm de illius applicatione ad factum.

Cum igitur causa sit potius facti quam juris, & consequenter consistat in arbitrio judicis, ex rei situatione, alisque facti circumstantiis regulando, male potest non viso loco, vel saltem ejus planta, neque habita notitia de more regionis, & personarum qualitate, alisque particularibus circumstantiis, quæ juridicè Judicis arbitrium in unam vel alteram sententiam trahere postulant, ut observat Bald: conf: 233, lib. 1. eoque relato Thesaur. dicta dec: 41, num: 24., adequatum judicium pro veritate tradi, maximè quia varium est judicium peritorum, qui hinc inde deduci, ad inducentium intentum ac affectionem potius, quam ad veritatem respexisse videntur, ita ut in eorum relationibus pro neutra partium fundamentum constitui posse videatur.

Quantum tamen ex scripturis transmissis deducit potest; Pro parte Comitissæ prohibentis, & quod murus sit simpliciter divisorius, ad solam clausuram, non autem ad edificandum destinatus, faciunt; Primo regula ut reo & prohibenti novum opus sufficiat vincere per non ius auctoris edificare volentis, cuius onus est concludenter probare murum destinatum esse ad illum usum, quo ipse intendit uti, ut egregiè Bald: dicto conf: 233. quem sequuntur alii relati per Thesaur. dicta dec: 41, num: ult: & Sperell: dec: 54 num: 31.. neque dicitur id probatum ex eo quod murus non habeat merlos, vel superficiem ad dorsum asini, quæ solent esse signa muri divisorii, quia non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse, ut in puncto Bald: dicto conf: 233, in fine.

Secundò ex qualitate muri constructi, non de calce, prout esse solent muri destinati ad ædificandum, sed de luto seu terra, ut passim construi solent muri divisorii ad solam clausuram destinati, ideoque inhabilis ad ædificandum ex deductis per Bursatt. conf. 57, Surd. conf. 233, Menoch. dictio conf. 1237, num. 27, & 28.

Tertiò fortissimè, quia non versamur in illis muris communibus, qui esse solent inter unam dominum & alteram ad subfinienda cements vel tecta, saltem ex una parte destinati, in quibus terminis major pars Doctorum ex allegatis loquitur, ut ex eis constat, sed in muro posito inter duas areas seu duo cornilia, quo casu censetur potius ad dividendum quam ad ædificandum destinatus, ut in puncto Cepoll. de servit. urb. prad. dicto cap. 40. num. 33, Boer. conf. num. 27, Carpan. ad Statut. Mediolan. lib. 2. cap. 335. n. 28, & cap. 342. n. 68, Menoch dictio conf. 1237. n. 28, Rouit. dicta dec. 30. n. 5.

Considerando potissimum, quod non versamur in muro confecto ab uno, qui antiquitus esset utriusque dominus Dominus, in quibus terminis etiam loquitur Bursatt. dicto conf. 57, & 58, qui tamen in specie reprobatur apud Rouit. dicta dec. 30. n. 9. Sed fumus in muro conformato per diversos Dominos, quorum unus erat Dominus territorii vacui ex una parte, alter ex altera, qui est propriè casus positus per Cepollam, & egregie distinguendo explicat Rouit. dicta dec. 30. num. 8. atque ita ad oculum probare videtur Instrumentum venditionis, dum in eo convenitur fieri debere murum communibus expensis ad solam finem divisionis seu clausuræ, quo casu quilibet ex Dominis ita tunc murum construendo censetur imponere servitatem illi parieti ex parte propria, ne possit altius extolli, ut per Rouit. dicto num. 8.

Quartò quia cum utraque domus antiquitus effecta est unius Domini, qui est auctor illorum de Hondeidis, deinde vero partem vendiderit auctori Comitis cum omnibus ejus luminibus & iuribus, &c. videtur ita inducta servitus, ne dicta domus vendite luminibus officiatur, ad text. in l. binas ades 9, & l. binas quis ades 33 ff. de serv. urb. prad. ubi notantur DD. de quibus amplè Bursatt. dicto conf. 57, num. 12, Bero. conf. 133, vol. 3. Thesaur. dec. 216. & alij, & de quo punto agitur particulariter in Romana putei hoc eod. tit. dis. 32.

In contrarium pro parte illorum de Hondeidis faciunt; Primo qualitas sive status muri, qui non habet nec melius nec superius ad dorsum aini, vel aliud signum solitum demonstrare muros divisorios ad solam clausuram destinatos, ut post alios ab eis allegatos observat Thesaur. dicta dec. 41, num. 24.

Secundò grossities muri cum æquali uniformi structura & fundamentorum profunditate, prout construi solent muri destinati ad ædificandum, nullatenus enim est verisimile, quod murum divisorium ad solam clausuram adeo grossum & bonum partes facere voluisse cum superflua impensa, dum talis qualis murus subtilis abundabat ad finem prædictum ex bene deductis in puncto per Gratian. discept. 572, num. 47 & seqq. Imò si ad solam divisionem dictum murum destinasset, verisimilitè studiosè illum fecissent debilem & subtilem, ne unquam per aliquam partium prætendi possit super ædificium.

Tertiò fortissimè ex ædificijs per utramque partium super eodem muro constitutis, Comitis etenim construxit stabulum, & Hondeidis construxerunt quamdam aliam mansiunculam, & ex testibus

ad visione constat unicam esse totius muri structuram, tam in dicta parte superædificata, quam in illa controversia, lignum clatum quod totus murus apertus ac destinatus esset constructioni, cum earumdem partium observantia sit optima interpres, ut in his terminis Thesaur. alias reportans dicta dec. 41, post num. 24, vers. Sed quid si murus, Veggius dicto conf. 53, num. 32, & seqq. cupus dicta satis conferunt pro hac parte.

Nec obstante contraria; Ad primum enim dicitur, satis per actorem probari suam intentionem ex præmissis demonstrationibus; Secundum tollitur ex attestacionibus peritorum dicentium etiam super muri absque calce constructis posse ac solium esse superædificari, neque in hoc adest discordantia, ideoque eorum judicio est standum, ut communè calculo firmante Veggio, Gratian. & quotquot superiori allegat tractant materiam; Ad tertium respondet procedere in dubio, secus ubi muri qualitas, aliaque indititia contrariorum suadent, ut in terminis individualibus Gratian. dicta discept. 572. num. 55. & seqq.

Et quartum nullatenus obstat, omessa enim quastione, an text. in l. binas ades cum concordan procedat solum in ultimis voluntatibus vel etiam in contractibus ex latè deductis in his terminis per Thesaur. dec. 216. & Beroum. conf. 133. lib. 3 dato etiam quod intraret, intelligenda tamen venit cum duplice temperamento; Primo scilicet, ut procedat in servitribus habentibus causam continuam & permanentem, non autem in alijs, ut in puncto ex Berio. dicto conf. 133. num. 12. reprobato nominatum Bursato Rouit. dicta dec. 30. num. 11. Secundò quia dicta conclusio procedit ad effectum, nè lumina totaliter obscurantur, secus si tantum spatum aeris remanet, quod Cœli aspectus, luminis ingressus ac aeris vel ventorum agitatio non impediantur, ut ad litteram probat idem text, ac admittunt omnes absque controversia, cum nullo jure, nulla ratione cautum reperiatur. tacitam servitatem à sola juris dispositione subintelleciam, censerit ad luxum & amoenitatem.

Hæc videntur magis substantialia, quæ hinc inde in præsenti causa considerari possunt; Ego vero subdubius adhuc remaneo super judicio pro veritate prætendo, quia re vera materia est arbitratia, totaque pendet à circumstantijs facti superius enunciatis; Inter alias autem circumstantias, illam præsertim si judex esset, attendendam putarem, quæ consistat in causa, ex qua Hondeidei moventur ad elevandum istum murum; Si enim est justa, honesta, & rationabilis, prius erat ea, quæ considerata fuit per Sac. Concilium Neapolitanum apud Rouit. dicta dec. 30. & per Cameram Apostolicam in dicto voto impress. 253, par. 7. rec. Tunc pro eis responderem: Si vero nulla justa vel probabilis causa suadente, ædificium ad solam delectationem vel luxum fieri veller, talis casu satis de eorum iuribus dubitarem, non ex capite æmulationis, quoniam illa regulariter non præsumitur, atque ad eam excludendam sola utilitas commoditatibus ex ædificio resultans sufficit, sed quia cum multa adhuc hinc inde urgentia, ita ut decisio reducatur ad judicis arbitrium, idcirco exigi videtur probabilis causa, quæ regulare debeat dictum arbitrium, quod ex justa causa interponi potest pro cœncedenda elevatione etiam in casu, quo muro ad solam arearum divisionem destinato regula starent pro prohibente, ut apud Rouit. dicta dec. 30. & dicta dec. 253,

part. 7, recent.

ROMANA